

Improbabilis stabilitur.

35 Iuxta hæc ergo nequit admitti sententia illa de absoluta necessitate trium Episcoporum esse probabilem modò; quidquid de temporibus aliis fuerit. Vnde qui eam nunc probabilem existimant, non videntur rei istius plenam habere notitiam, ac propterea P. Granadus Tomo 2. in 3. p. pag. 1370. num. 5. affirmat circa hoc non esse dubitandum. Et Diana vilus post hæc scripta Parte 12. Resolut. 47. §. ultimo, non dubitat eam improbabilem appellare. Et quidem P. Palaus, qui eam, vt vidimus, asseruit, & à Diana specialiter impugnatur, sine sufficiente auctoritate locutus: illi enim, quos pro se affert recentes Auctores, ei minimè suffragantur. Adducit Barboſam Allegatione 2. quod per errorem positum, cum non sit nisi in primâ; numer. illo 45. vbi hæc tantùm habet: Hæc tamen consecratio à minori numero, quam trium Episcoporum fieri minimè debet. Sic ille; qui de obligatione præcepti potest intelligi aut de iure ordinario; sic enim in aliis scriptoribus occurrit, qui cum ita absolute statuunt; eo non obstante aliud per Pontificis dispensationem admittunt. Videatur Pater Gaspar Hurtadus Dissertat. de Ordine, Difficultate 19. qui & ita loquitur, atque alios similiter loquentes allegat; dispensationem tamen admittentes. Et Diana suprà §. Sed quidquid. Deinde Auctor dictus ita accipiendus est, sicut illi sentiunt, quos pro se allegat, & citatus. Pater vt apud eos reperit, ac sine alia differentia transcripsit: illi autem contrarium sentiunt. Nam Pater Henriquez citato numer. 1. ita scribit. Consecrandus est Episcopus ex præcepto ab Apostolorum tempore per tres simul Episcopos, nisi ex causa Papa dispenser. In Glossâ exempli dispensationis adducit. P. Comitulus §. Deinde, sic habet: Sanè D. Thomas aperte scribit in 4. sentent. dist. 24. quæst. 3. articul. 1. ad 3. Episcopum consecrare posse Episcopum, idemq. sentit Durandus in eadem dist. quæst. 6. Sed non addunt solum unum Episcopum id posse: quare crediderim sine Romani Pontificis concessu hoc non posse. Hæc illi, & quid illis manifestus? Neque aliter accipiendus Marcus Antonius Genuensis, sicut & alij nouiores scriptores, & ita res ista vti certissima est habenda. Posse namque sententiam aliquam, quæ probabilis aliquando fuit, determinatione Ecclesiæ ad subliorem gradum certitudinis eleuari, manifestis exemplis constat, ex quibus plura congeſsi Tomo 1. Theologicorum Problematum, pro Conceptionis Virgineæ proximâ definibilitate decertans. Vbi & ostendi quòd licet ad definiendum aliquid possit Pontifex probabiliter procedere; quia scilicet probabile est eum posse definire; posita tamen definitione illud iam non esse probabile, sed eum certitudinis gradum continens, quem Pontificia determinatio designauit. Et gradu opinionis permanente posse illam ad supremum illius statum ascendere, ita vt oppositum sit improbabile, docti sentiunt. Pro quo & videri potest P. Eusebius Nierembergus in opusculo de sanctitate certâ Immaculate Conceptionis, P. Vega in Theologia Mariana, numer. 410. & seqq. Et Mag. Ioannes à Sancto Thoma 2. 2. Fol. 770. quem adducit Diana Parte 11. Resolut. 20. in Tractatus octauo Appendice, & hoc est, quod in causâ præsentis mi-

A. P. Palao non bene inductos Auctores.

Barboſa.

P. Henrig.

P. Comitulus.

nimum esse potest; nam sententia Pontificum maiori videtur certitudine præpollere. Vnde & Libr. 28. Titul. 5. Parti. 1. id vt certum proponit, ibi: Por el Ordinamento de la Iglesia, &c.

36 Non ergo ex eo argui pro casu, de quo disputatio nostra procedit, verosimiliter potest, in quo docti, & conscientia sua prouidi speculatores Episcopi, ad eò exactè, cum hæc ipsa scribo, se gesserunt, vt neque cum Trasumptis Bullarum authenticis à Regiâ curiâ transmissis, ausi fuerint consecrari: quidquid fecus sentiat Dom. Villaroel Quæst. 1. citatâ Articul. 10. numer. 40. Quia & in his sua deesse dubitatio poterat, eò quòd graues scriptores plumbatas Bullas dicant esse necessarias iuxta Extrauagan- tis Bonifacij VIII. tenorem: de quâ numer. 24. verbis illis. Absque dictæ sedis literis, litterarum ostensionem recipiam. Quæ & in actu Consecrationis iubentur ostendi & legi, & vocantur, Mandatum Apostolicum. Immo & circa Trasumpta ex Romanâ Curia destinata dubitatum fuit, eò quòd Bullæ in membranâ mitti non poterint, grassante contagio, quod membranæ & non papyro ita hæere dicitur, vt beneficio ignis nequeat excludi; cum tamen in papyro beneficium tale, dum blandè fuerit admotus, sentiat: & de Trasumptorum fide indubitabilis concurrat auctoritas Cardinalium sic firmitum, asserentiumque ad consecrationem sufficere, & ita factum alibi contestantium. Quo circumstantiarum concursu dubitatio omnis mihi non sine talium, ac tantorum testium iniuriâ videtur posse consistere. Exhibito Bullarum pro Consecratione obtinendâ Pontificij juris est, & in eo Pontifex potest, omnium consensu, dispensare. In præsentis autem casu ad dispensationem talem vrgentissima causa est, cum nequeant Bullæ plumbatæ transmitti, nec debeat Episcoporum Consecratio tanto cum Ecclesiarum dispendio prorogari. Sic factum ex testificatione Cardinalium constat: neque enim dispensatio in Bullâ debuit plumbatâ remitti: si enim ita fieri posset, etiam originales ipsæ Bullæ possent simili ratione transmitti. Cum ergo dispensatio eo veniet modo, quo venire potest, plus aliud exigere, aut inconsiderati & illiberalis timoris est, aut animi plus nimio pertinacis.

Circa trasumpta Bullarum authenticis quid difficultatis oritur.

Quibusdâ prouidendo danda fides, & iuxta ea operandi.

37 Quod roborari ulterius potest ex eo, quod Gregorius XV. in sua de reuocatione viuz vocis Oraculorum constitutione his verbis statuit; post reuocationem dictam generaliter decretam: Firmis tamen, & in suo robore permanentibus indultis, & alijs concessionibus prædictis, viuz vocis Oraculo S. R. E. Cardinalibus, ad ipsorum vel aliorum, quorumcumque fauorem propria S. R. E. Cardinalium manu firmatis, pro ipsis, vel alijs factis, & de quibus idem S. R. E. Cardinales testimonium in scriptis præbuerunt. Sic ille: manifestè ostendens quanta debeat. S. R. E. Cardinalibus adhiberi fides, quando ipsi sua manu firmatis testimoniis aliquid attestantur. Licet autem Vrbanus VIII. etiam viuz vocis oracula, sic firmata, reuocauerit; id quidem non ex defectu credulitatis accidit, sed ob rationem ab ipso redditam, quia scilicet, sepe ab ijs, in quorum fauorem emanant, minus Canoni-

Ex Bullâ Oraculorū reuocatoriâ arguitur, vbi de fide præstanda Cardinalibus auctoritatè.

Et vni tantum etiam cum præiudicio tertij, sicut & in alijs casibus.

Rota decisionem non obsistere circa fidem dictam vni Cardinali præstandâ.

Pro eadem fide aliorum Auctorum testimonio.

in interpretatione extendi, & perperam in disciplina Ecclesiastica detrimentum executioni demandari, experientia conpernum sit. Et hoc quidem, quando vnus tantum Cardinalis testimonium habetur. Quid ergo iam dicendum, vbi duorum attestatio cum insolitis firmitatis, & Rubricarum multiplicatione in singulis folijs habetur, ac præterea Regij Consilij registrum in debitâ formâ ad faciendam fidem? His accedit, quod graues Doctores dicunt apud Dianam Parte 5. Tractat. 2. Resolut. 31. quòd scilicet de consuetudine (quidquid de iure sit) Romanæ Curie, Cardinali aliqui assentiri credendum est, etiam in præiudicium tertij. Pro quo Farinacius Parte 2. Praxis Criminalis, Quæst. 63. num. 69. multo plures adducit. In casu autem nostro tale præiudicium non est, vnde ea doctrina sine dubitatione præcedit. Quòd etiam sine iuramento aliquid testantibus credendum sit, alij apud eundem affirmant, & præsertim quòd credendum sit quando testatur de aliquo à Pontifice factò viuz vocis Oraculo, tenent alij citati ab ipso. In casu autem nostro non de viuz vocis oraculo testimonium est, sed de expeditione Bullarum, quarum tenor exprimitur, & ita dubitationis omnis fundamentum aboletur. Sacra etiam Rota die 15. Aprilis 1611. credendum esse assertioni Cardinalis confirmanti statutum de mandato Sedis Apostolicæ, sua determinatione firmavit.

38 Neque his obstat, quod Rota eadem die 26. Iunii Ann 1600. firmavit fidem simplicem, & extraiudicalem factam per Cardinalem sine iuramento non probare concludenter, licet multum illi tribuatur. Nam in primis decisio illa non agit, nisi de testimonio vnus Cardinalis, cum tamen in casu nostro duo sint. Deinde multum illi tribuendum esse ait, idque, quando vnus tantum testimonium est: ergo duorum testimonio multo plus erit tribuendum: ergo quantum sufficiat, vt iuxta illud possit operari. Ad quid enim alius fauor ille, qui eidem conceditur, conducere potest, vt multum scilicet illis tribuendum sit, si iuxta illud operari non licet? Item plus multo illud, quod testimonio illorum tribuendum est, ex circumstantiis acereſcit, quas expressimus, & verisimilitudinis irrefragabilis: licet ergo indubitanter operatio; nec tantum licet, sed obligatio stricta vrget, vt electus & confirmatus debeat intra trimestre consecrari, iuxta id, quod Pontificis est legibus constitutum.

39 Pro ampliori autem confirmatione addendum, quod habet Cardinalis Tuschus Conclus. 103. numer. 15. vbi ex Alexandro ait duobus Cardinalibus asserentibus, circa alienationem, & decretum circa illam interponentibus perinde credendum, ac si à Pontifice ipso esset interpositum decretum: quanta etiam fides testimonio duorum Cardinalium adhibenda sit, satis indicat id, quod ex Baldo adducit Mascardus, de Probationibus Conclus. 270. num. 2. vbi ait duobus Cardinalibus iuratis maiorem fidem adhibendam, quam septuaginta aliis. Hinc ergo appareat, quanta eisdem, etiam cum non iurati depopunt, debeat credulitas respondere. Videndus etiam Mascardus Conclus. 269. numer. 13. vbi ex Bellamera testatur per tres definitiuas sententias

Romæ iudicatum Cardinali testanti de eo, quod ordinariè ijs committi solet, fidem penitus esse præstandam. Quia verò circa fidem Cardinalibus adhibendam variaz sententia: sunt, illud certè ex illis omnibus deduci potest, si qui sint fauentes, eidem annuendum: si qui verò videantur obſtare, minimè in casu præsentis loqui; quia circumstantiæ tales sunt, vt à nullo negari queat fidem esse prorsus tribuendam. Videantur illi, & præsertim citari, videlicet Cardinalis Tuschus Conclus. 103. Mascardus Conclus. 269. & 270. & Farinacius Quæst. illa 63. apud quos alij. Quod si quis obiciat esse, qui dubitent in casu nostro, respondendum eorum dubitationem omni esse fundamento destitutam. Si verò rumor spargendus sit de minus legitima consecratione, & apud subditos scrupuli circa sui Pastoris Canonicam promotionem excitandi, vnde & scandala consequenter pertimescenda, à consecratione abstinentium; vnde ego circa casum præsentem sic censui vt litteræ dictæ tamquam plenissimâ fide dignæ & haberentur, & publicarentur; neque earum discussio iurisperitis committeretur: eo enim ipso de earum videbatur fide dubitari, & dubitandi etiam fundamentum non deesse: quandoquidem & consecratoris & consecrandi, qui viri docti erant, stante litterarum adeò comperâ & irrefragabili serie, ad effectum satis superque sufficiebat: sicut & pro casu dicto ista sufficiant; vt sit iam

Notanda exceptio.

C A P V T I V.

Episcopi Indiarum an solâ Regiâ præsentatione possint Ecclesias, quibus præſunt, deferere, & ad eas, pro quibus sunt præsentati, conuolare.

40 Specialis pro Indiis difficultas est, quia sic cum præsentatione ipsa Regium solet monitorium mitti, vt Episcopi ad Ecclesias, pro quibus præsentantur, se statim conferant, ne Indi diu cogantur carere Pastore. Quæ ratio optima esset, si in Ecclesiâ derelictâ simile non immineret incommodum ex derelictione ita deproperatâ proueniens. Vbi si dicatur tali incommodo prouidè occurri ex eo quòd Episcopo ad illam præsentato simile hortatorium dirigatur; vt scilicet, quam primùm possit, ad eam tendat, gubernationem eiusdem accepturus: contra illud est in primis prouidentiam talem multoties ad effectum dictum nullius esse momenti, eò quòd venturus Episcopus longissimè abſit. Deinde necessitas Ecclesiæ ex quâ fit translatio, præponderare debet necessitati alterius, pro quâ est præsentatio, quia est necessitas sponte, cum quâ spirituale est matrimonium consummatum, quod vinculum non dissoluitur nisi electione ad aliam per Pontificem confirmatâ, vt luculenter habetur in Cap. Inter corporalia de translatione Episcoporum. Quod quidem vinculum adeò strictum est, vt robustius carnali vinculo à Pontifice pronuntietur, asserente non humanâ, Canonica inquam constitutione, sed institutione diuinâ, dissolutionem eius Romano esse Pontifici refer-

Ratio dubitandi circa propositionem.

Ex vinculo spirituali coniugij arguitur, quod corporali man-



reſeruatam. Qui ergo ſtare queat, vt ſolâ præſentatione diſſoluatur, vt diſſolui videtur, quandoquidem prior ſponſa deferitur, quæ ſi verè iam talis eſſet, minime deferri debuiffet? Si verò dicatur non diſſolui, ſtante illo, id etiam ſtare debet, quod coniugio conſtat eſſe propriiſſimum, Indi viduæ ſcilicet vitæ conſuetudo. Nequit ergo eam deferere, numquam ad eandem reuerſurus, donec Pontificis accedat auctoritas, cui hoc eſt, vt diximus, diuinâ inſtitutione penitus reſeruatam. Pro quo ſunt, quæ in ſpecie huius caſus adducit Dom. Solorzanus Tomo 1. Lib. 3. numer. 102. & 103. de quo & diſputat Dom. Villaroel Parte 1. Pacificæ gubernationis, Quæſt. 1. artic. 14.

41 Quæ quidem ratio manifeſta eſt, vnde Eccleſia ante Confirmationem deferri nequit auctoritate Patroni, & vi ſolius præſentationis, quia præſentatio ſe ſolâ non eſt efficaci ad diſſolutionem ſpiritualis vinculi, neque Eccleſia priuilegium præſentandi concedens, illud aliud videtur concedere, quod adeo exorbitans à iure eſt, & talia in conſequentiam non veniunt, vt habeatur per regulam iuris in ſexto. Præterquam quòd neque id poteſt à Pontifice concedi: quia eſt contra naturam ipſius præſentationis: qui enim præſentat, ad hoc præſentationem dirigit, vt ſic præſentatus à Pontifice inſtituatur, & conformetur, per quod ſpirituale coniugium tandem diſſoluatur. Quærendum ergo vnde præxiſta deſcendat, quæ procul dubio apparet diſpoſitioni iuris aduerſa, cum aliâs credibile non ſit, Reges Catholicos quidquam iuri contrarium & rationi diſſonum, attentare. Pro quo

42 Dico primò. Quod Reges noſtri faciunt: cum eos, quos præſentant, vrgent Regiis litteris, vt ad Eccleſias ſe conferant, ad quas præſentantur, per priuilegium Apoſtolice Sedis habeatur. Id conſtat: nam cum aliter fieri nequeat, vt vidimus, & in rebus iſtis ſapientium, & timoratorum Conſilio Religioſiſſimi Reges vtantur, non poteſt de legitimo agendi modo ſine graui eorum iniuriâ dubitari. Quòd autem Pontifices id concedere poſſint, ex eo oſtenditur, quia id poteſt eſſe conueniens: maius enim bonum minori præferendum eſt: quando autem translatio Episcoporum fit, de minoribus ad maiores Eccleſias, quibus vtiliores putantur futuri, transferuntur. Plures enim in maioribus Eccleſiis ſunt, ad quos poſſit vtilitas deriuari. Sicut ergo ratione vtilitatis auferre ſponſum vni Eccleſiæ poteſt, ita & inchoationem oblationis huius poteſt Patroni diſpoſitioni committere, quæ tunc contingit, cum ad Eccleſiam, pro qua eſt præſentatus, vt ſe conferat gubernaturus eandem, ex commiſſione Capituli, deſtinatur. Quòd autem in translatione ad maiorem Eccleſiam attendi debeat vtilitas, expreſſit Innocentius III. In Capite licet: citato Titulo verbis illis: Cum in maiori dignitate propter maiorem vtilitatem facilius ſoleat diſpenſari. Sic ille & in translationibus Indiarum Episcoporum, ſemper ita agit, vt nullus, niſi ad maiorem Eccleſiam transferatur, rariffimo aliquo excepto caſu. Licet autem pro hoc expreſſum ac ſpeciale priuilegium non ſit, poterit tacitum eſſe ſuffi-

cientis, ex eo quòd Pontifices præxiſta huiusmodi ſcientes non aduerſentur, ſed benignè annuunt, videntes totum illud ad maius fidelium bonum, & Eccleſiarum commodum deſtinari. Pro quo etiam facit generalis illa Indiarum cura Catholicis Regibus à Pontificibus, & præſertim ab Alexandro VI. demandata circa Indorum conuerſionem & omnia alia, quæ ad eandem conducere poſſunt; propter quod aliqui, vt ſuperius vidimus Titulo præcedenti, numer. 126. eos legatos Pontificios eſſe dicunt: hæc enim prouidentia pars, quæ circa Episcopos prædiſta, pro aduendis ſtatim Eccleſiis, diſpoſitione verſatur; in illâ vniuerſali commiſſione merito poteſt comprehenſa iudicari. Habet enim illa momenti multum in ordine ad effectus declaratos.

43 Et ita videtur conuenienter res iſta componi, cum priuilegium nullum ſpeciale circa illam inueniatur, nec ſine illo poſſit præxiſta huiusmodi ſuſtineri: licet nonnullos alios explicandi modos proponat Dom. Solorzanus Tomo 2. Lib. 3. Cap. 13. numer. 93. & ſeqq. & in Politicâ Lib. 4. Cap. 13. ait enim licitam eſſe deſertionem Eccleſiæ; quia ei Episcopus translatuſ renuntiat; per renuntiationem autem ſolui ſpirituale coniugium, expreſſè habeatur in citato Cap. Inter Corporalia. Pro quo eſt & totus Titulus, de Renuntiatione, qui eſt 9. Lib. 1. Licet autem renuntiatione nulla ſit Papâ non præſente conſenſum, ex diuerſis iuribus, & præſertim ex Cap. Quanto, de translatione Episcopi, vbi grauiſſima illa Innocentij III. verba: Potestatem transferendi Pontifices ita ſibi retinuit Dominus & Magister, quod ſoli B. Petro Vicario ſuo, & per ipſum ſucceſſoribus ſuis ſpeciali priuilegio tribuit, & conceſſit, ſicut teſtatur Antiquitas; cui decreta Patrum ſanxerunt reuerentiam exhibendam, & euidenter aſſerunt Sacrorum Canonum ſanctiones. Hæc ille, & alia, licet inquam hoc ita ſit, conſenſus tamen Pontificis videtur renuntiationi aſſiſtere, quia eam eſt ratam habiturus, & ratificatio retrotrahitur, ex doctrinâ grauium ſcriptorum, quos adducit. Deinde dici poteſt iuxta alios, ex vi præſentationis matrimonium ſpirituale de futuro contrahi, quod per confirmationem Pontificiam perficitur, & conſummatur. Item licet renuntiatione facta ſine licentiâ Pontificis vim non habeat, id intelligendum eſt quòd ſuperioris præiudicium, non verò quòd renuntiantem, in cuius præiudicium valida eſt, & ita generaliter loquendo, renuntians ſine ſuperioris licentiâ nequit ad beneficium reuerſi; cum tamen poſſit à ſuperiore compelli, cui non nocet ſine licentiâ facta renuntiatione.

44 Verum hæc fatiſ videntur infirma, quòd & ea oſtendunt, quæ Auctor idem ſ. ſicut, & ſ. Quæ omnia crudite, & prudenter accumulatur. Et in primis, quod de renuntiatione, per ratificationem retrotractam dicitur, nequit admitti: in caſibus enim, de quibus loquimur, illa non habet locum, quandoquidem exhibitio litterarum Apoſtolicarum ad ſuſcipiendam Eccleſiæ adminiſtrationem exigitur, per quod ratificatio omnis de futuro aperitiſſimè excluditur, quidquid de doctrinâ illâ ſit in ordine ad alios effectus.

Conceſſionem Alexandri VI. fauere.

Modus diſſolendi Domus Solorzani ex renuntiatione præſentati procedenti, variè explicata.

Cap. Quanto de tranſlat.

Translatio nem ſoli Pontifici referenda.

Renuntiationem non valere in præiudicium tertij ſine licentiâ factam.

Renuntiationem non retrotrahi in caſu præſentati, citatum Auctorem, cuius eſt dicta alia conſuetudo.

Præxiſta

Aſſeritio Pontifici ad hoc priuilegium intercedere.

Minor vtilitas in translatione ponenda.

Cap. Licet de tranſlat. Episcop.

Præxiſta ergo ſpecialis Indiarum nequit in ratificatione ſic explicatâ fundari. Quod autem per præſentationem matrimonium ſpirituale de futuro contrahatur, Auctores illi non dicunt, qui de electione Canonica, & non de præſentatione loquuntur. Neque P. Azor Tomo 2. Lib. 6. Cap. 16. ſ. Tertio quaritur. Contractum illud aſſeruit, ſed electione inchoatum, & confirmatione perfectum, & conſummatum; & eodem modo accipiendus Farinacius: & vt demus coniugium de futuro contrahi, illud certe coniugium præſens non diſſoluit, & ita in ſuo robore perſiſtit difficultas; propter ſponſam enim de futuro, nequit ſponſa de præſenti derelinqui. Aliud autem de præiudicio additum nullius momenti apparet, quia ſi renuntians nequit ſua renuntiatione præiudicium generare, ergo Matrimonium ſuo in robore perſiſteret, quod ſuperioris eſt confirmatione firmatum: & res per eandem cauſas diſſoluitur, per quæ eſt nata; vt eſt certiffima iuris regula. Quod ergo redire ad Beneficium nequeat, qui renuntians illi non ideò eſt, quia ille ſua diſſoluitur nexum enuntiatione queat, ſed in penam irreuerentis erga ſuperiorem, & de Episcopis ſpecialiter loquendo, pro eo eſt textus expreſſus in citato Cap. Quanto, de translatione Episcopi. Vbi ſic dicitur. Ne ad ipſam redeat ulterius, diſtribuit prohibemus, cum ſecundum traditiones Canonicas, qui ad maiorem ſe plebem tranſulerit, à cathedrâ repelli debeat alienâ, & carere propriâ: vt nec illis præſideat, quos per ſuperbiam ſpreuit, nec illi, quos per auaritiâ concupiuit. Sic ibi Innocentius Tertius. Quod ex eo etiam conſtat: nam cum ſuperior poſſit dicto modo renuntiantem compellere, vt ad Eccleſiam ſuum redeat, iuxta ea, quæ adducit Gloſſa in Cap. Quod in dubijs de renuntiatione ſ. In manum, & apertam deciſionem. In Cap. Dilecti filij, eodem Titulo. Manifeſtum eſt non fuiſſe coniugium diſſolutum. Id quod in eodem Cap. dilecti habeatur expreſſum, dum ſic in eo Gregorius IX. Mandamus quatenus Abbatem ipſum loco ſuo reſtitui faciatis, quo integrè reſtituto, voce noſtrâ recipiatis ceſſationem ipſius. Sic ille. Sicut ergo renuntiatione fuerat nulla, ita & ſpirituale coniugium minime diſſolutum.

Præſentatione non contrahi Matrimonium de futuro.

Renuntiatione ſine licentiâ vinculum non diſſoluit, ſed in penam ſtanti priuationem.

Cap. Quanto de tranſlat.

Cap. Dilecti eod. tit.

Auctoris item citati non penitus probandi reſponſio.

quidquam agens circa translationem inducitur, cuius operatio à Licentiâ incipit, quæ etiam dicitur præſupponi. Pro quo & eſt aliud fatiſ vrgens: nam ſi tranſlatus iſte omnino abſolutus eſt; ergo non indiget vt Capitulum ſuum illi poteſtate ad gubernationem tribuat: cum tamen oppoſitum per Regis præxiſta habeatur, & donec confirmatio in ſpe & non in re habeatur, Episcopus non ſuo, ſed Capituli nomine adminiſtrat, quamquam in hoc ſingulare illud habeatur, quòd dum adhuc abeſt, gubernatorem alium conſtituit: cum neque electus, & confirmatus vicarium mittere poſſit, vt tenent aliqui apud Dianam Parte 8. Traſt. 4. Reſolut. 69. id quod non omnes, aliqui tamen facere ſolent. Quod ex eo ſuſtineri poteſt, quia Capitulum circa hoc non eſt inuicem, & ad hoc etiam facultatem datam extendit. Tum etiam, quia poteſtas hæc non conferitur per delegationem, ſed per translationem, dum Capitulum poteſtatem ſuam ita in Episcopum tranſfert, vt ſe illius vti irremocabiliter priuet; cum tamen poteſtas delegata alio modo ſe habeat, quando ſcilicet ita tribuitur vt officio non hæreat, nec ſit ad vniuerſalitatem cauſarum: vnde & dicitur delegatus non habere proprium quoad iuriſdictionem, ſed ſolum iuriſdictionis vſum, leg. 1. ſ. Qui Mandata D. de officio eius, cui mandata eſt iuriſdictione. Pro quo videri poſſunt quæ adducit P. Fragofus Tom. 1. pag. 427. & 429. Episcopo quidem iuriſdictione plenâ gubernatione ex officio competit, & cum à Capitulo, quod eâ etiam gaudet in eum tranſfertur; quædam anticipatio eius eſt, quod eidem eſt ſtatim cum officio tribuendum. Ex quo videtur haberi, vt iuriſdictione non debeat delegata centeri, quandoquidem continuatur eum ordinariâ, & ratione officij quodammodo conuenit: iam enim ita generaliter hoc currit, vt cum præſentatione pariter conferatur. Neque ex eo, quòd à Capitulo attributa ſit, debet delegata centeri, cum detur ratione officij: quemadmodum iudices locales, qui Alcaldes dicuntur, licet non à Principe, ſed à Capitulis ciuitatum eligantur, iudices delegati non ſunt, vt cum aliis probat Coarruuias Lib. 3. variat. Cap. 20. num. 4. & Vicarius etiam Capituli ſede vacante delegatus non eſt ſecundum communem ſententiam, de qua ſupra, & pro quâ eſt Diana Traſt. 4. citato Reſolut. 63. ſ. & noſtriſſimè: vbi cum vno verbo id ſtatuat, ſubdit de eo ſe dicturum dubio ſequenti: in quo tamen nec verbum, ſicut neque in alijs. Non item obſtat Episcopus nomine Capituli gubernationem obire; quia & Prorex Regis nomine etiam gubernationi præſicitur; & tamen illius iuriſdictione delegata non eſt, vt tenent communiter ſcribentes, & videri poteſt apud P. Fragofum ſupra pag. 429. num. 103. & ſeqq. Pro caſu autem Indiarum, de quo loquimur, videntur Dom. Solorzanus Lib. 3. Cap. 4. num. 43. & ſeqq. & viliſt poſt hæc ſcripta Dom. Villaroel Part. 2. Quæſt. 14. art. 1. num. 52. vbi ait abſque dubio eſſe ordinariam; ſed non ita indubiam, vt probari non debuiffet.

46 Quiddid autem de hoc ſit, vt ad id, de quo erat ſermo, reuertatur, licentiâ Episcopi recedendi ab Eccleſiâ non ſupponit abſolutionem à vinculo ſponſalicio; ſed id, quod cum illo ſtare

Episcopus gubernationem poſt ſolam præſentationem aſſumens, quomodo dici poſſit non habere delegatam iuriſdictionem.

Quid pro prædelegata, & ordinaria ſit.

Alcaldes eſſe Ordinarios.

Vicarium etiam Capituli.

Et Prorex.

Vinculum cum vna Eccleſiâ, & gubernationem.